



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 6. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

469.

secus philosophicè accepto. Undè Soto, qua in quartum dixerat esse perniciosum errorem docere, non requiri necessitate Sacramenti formale propositum, se postea explicans lect. 17. de Pœnitentia, ait illud intelligi, quando dolor non est universalis: nam quando est universalis, est etiam sufficiens propositum. Quod etiã fecit Adrianus in quartum quaest. 1. de pœnitentia exponens, quod dixerat Quodlibero 5. artic. 3. Pariter etiam se explicavit Medina codice de Pœnitentia tract. 1. quaest. 3. cum id satis non declarasset, codice de Confessione, quaestione de Confessione facta iteranda. Videatur Exim. Doctor disp. 4. de pœnitentia sect. 3. num. 2.

Quo in sensu intelligendus est etiam Bellarmin. lib. 2. de pœnitentia cap. 6. Requirit enim formale propositum Theologicè sumptum, prout excludit omnem voluntatem peccandi, sive prout contradistinguitur à dolore particulari. Dolor quidem particularis, licet inseparabilis sit à proposito non committendi ea peccata, non tamen est inseparabilis, à proposito non committendi alia: adeoque non secum affert debitum propositum, quod Concilia exigunt. Quando ergo dolor, est particularis, debet addi universale propositum; aliter frustra exegissent Concilia propositum non peccandi de cætero, si sufficeret propositum particulare inclusum in eo particulari dolore, & ab eo inseparabile. Quod autem ista, sit mens Bellarmini apparet, ex ejus fundamentali ratione, quæ ita se habet: *Nam cum propositum implicatur à peccati detestatione nullo modo separari possit; sine causa Concilia addidissent illa verba, cum proposito non peccandi de cætero.* Evidens enim est propositum non peccandi de cætero separabile esse à detestatione particulari peccati, adeoque quando docet non sufficere, illud propositum virtuale, clarè loquitur de proposito incluso in particulari detestatione, quod sanè insufficiente est, ut contra aliquos Recentiores, diximus à n. 152. Hæc autem est ratio, quare Bellarminus in Tridentino, adeo versatus non objicit contra se Textum Tridentini dicentis, sufficere attritionem, si voluntatem peccandi excludat; nam talis attritio, jam dicitur propositum formale Theologicè sumptum, contra quod ipse non pugnat. Quinimò, si inadvertentia non adsit, statim oritur ex illa attritione formale propositum, ut diximus, num. 224. quod etiam notat ipse Bellarminus cap. 7. ad tertiam object. dicens: *Dico igitur non posse fieri, ut verus sit animi dolor de peccatis admissis, quin continuo oriatur etiam propositum vitandi peccata futura.* Quòd si auctores in genuino sensu explicentur, vix aut ne vix quidem invenies, qui sententiam nostram tanquam veram non supponat. Exindè facilis est via ad opposita argumenta dissolvenda, Pro quo

* * *

Objicies primò. Supernaturalis attritio est metu gehennæ concepta non est materia certa Sacramenti pœnitentia: atqui post damnatam ab Innocentio XI. primam illam propositionem: *Non est illicitum in Sacramento contrahere, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, tenetur apponere materiam certam: ergo licitum non est accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum sola attritione.* Confirmatur præoccupando nostram ex Conciliis solutionem: Concilia Oecumenica, quæ à Spiritu Sancto diriguntur, hæc nihil possunt, quod Dei Verbo scripto, aut tradito adversetur: atqui necessitatem Divini amoris super omnia, ad veram pœnitentiam, & multa Scripturæ loca, & traditio ipsa confirmat: ergo &c. Probarur Min. ea quæ à Concilio & Apostolis accepta unanimes ad nos consentientia Patres, ac Theologi transmiserunt, dicuntur habita, traditione: atqui homini in veterum Scripturum lectione versato, liquidò constabit, Patres, ac Theologos, ferè omnes, quia primis Ecclesiæ temporibus medium sæculum 14. observaverunt aperitissime docuisse, nemini, absque Dei dilectione super omnia, peccata in Sacramento pœnitentiæ condonari: ergo &c. Probarur Min. adducendo longum catalogum Sanctorum Patrum, ac Theologorum, qui viderunt huic sententiæ fivere, ut demonstrat Joan. Lanojus supra 40. testimonia numerans, quorum plura dissolvimus à num. 202. Altera præcipua hæc sunt.

Ex primò, quidem sæculo Ignatius Martyr hæc habet: *Omnibus pœnitentibus remittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei.* Ex secundo sæculo Justinus Philosophus, ac Martyr: *Qui diligit Dominum Deum, ex toto corde, & proximum sicut se ipsum, is demum vere ipsius fuerit, tum Irenæus: Justis autem, & agnis, & in dilectione perseverantibus; quibusdam quidem ab initio, quibusdam ex pœnitentia vitam donata.* Ex tertio sæculo Clemens Presbyter Alexandrinus: *Absque charitate nihil gratum est Deo.* Tertium & Tertullianus: *Pœniteat errorum, reperta veritate, pœniteat amasse, quæ Deum non amant.* Demum Origenes ad illa Christi Verba: *Mandatum novum do vobis: ita habet: Peccata autem, & charitatis fœdera non servaverunt Evangelica veterascunt.* Ex tertio, & quarto sæculo Hilarius in Evangelium Matthæi: *Quia Charitas plerimum peccatorum regit, & visum pœne quadrante solvemus, nisi peccati ipsius aliquantorum crimini in culpa & damno.* Tum etiam Ambrosius lect. 46. sic de pœnitentia Petri dixerens: *Qui enim Dominum certis negaverat, tertio conpescitur, & quartis suscipitur.*

linguendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquiri: atqui in istis, aliisque similibus testimoniis, clarè docemur, non haberi poenitentiam sufficientem ad Justificationem, absque dilectione Dei super omnia: ergo attritio ex metu gehennæ, absque dilectione Dei super omnia, insufficientis est ad justificationem, cum Sacramento Poenitentia.

472. Respondeo distingo Maj. Non est materia certa, certitudine authentica, concedo: certitudine privata, nego Maj. & dist. Min. nego Conf. Ratio est, quia pro sufficientia attritionis habemus privatam certitudinem, quæ satis est, ad suscipiendum valide, & licitè Sacramentum, ex num. 447. Cæterum quamvis, quæ ibi dicta sunt, satis superque sint ad clarè, & solidè dissolvendum argumentum, operæ pretium erit, breviter ostendere ipsos adversarios teneri, velint, nolint solutionem nostram approbare, ipsosque potius contra se, quàm contra nos, sua ipsorum arma, ut se vulnerent, retorquere. Etiam tutius est, ad valorem Sacramenti elicere intensam dilectionem Dei super omnia, quàm dilectionem, minus intensam. Querimus modò, an ad Sacramentum poenitentia adhibenda sit contritio charitate perfecta ea scilicet, quæ seorsim à Sacramento hominem potest cum Deo reconciliare? an sufficiens sit tenuis illa dilectio Dei super omnia? Respondent: sufficere istam tenuem, & neutquam requiri aliam. Modò sic: Sententia requirens illam aliam contritionem perfectam tutior est, cum etiam charitas perfecta certior est poenitentia materia, quàm tenuis illud charitatis initium. Undè igitur Adversarii certò constat, charitatem tenuem, inchoatam, remissam sufficere, esseque certam, ac idoneam materiam Sacramenti? idem nullo Tridentini, aut alterius Concilii decreto authentice sancitur, neque ab ipsis Adversariis, clarè & evidenter explicari potest, quæ sit natura hujusmodi charitatis inchoatæ, quæ habeat vim in Sacramento obtinendi veniam peccatorum, non tamen extra Sacramentum, imò latè probavimus, à n. 350. nullam talem extare dilectionem, in præfentique Providentia esse chimæram. Undè ergo constat ipsis, certò extare? Undè certò cum Sacramento sufficere? non quidem authentice, cum talis certitudo extare nequeat cum decreto Alexandri Septimi citato, num. 447. adeoque ad summum [quod ipsi nunquam probabunt] constare ipsis potest certitudine privata: dum autem dicant, hanc privatam certitudinem sufficientem illis esse, ad non exponendum frustrationi Sacramentum, jam ipsorum arma contra ipsos retorta esse, nemo est, qui non videat. Hæc insinuasse sufficiat, quæ quisque facile potest, si velit ex dictis, longè latèque amplificare. Vide n. 448.

473. Ad Confirmationem, Concedo Maj. & nego Min. Ad probat. concedo Maj. & nego Min. Ad probat. concedo Maj. quæ continet testimonia Sanctorum Patrum, & dist. Min. non haberi poenitentiam sufficientem, ad justificationem,

absque dilectione Dei super omnia, si sit poenitentia, solùm quam agimus, concedo, quàm suscipimus, nego Min. & Conseq. Ratio est, quia ut constat, ex Tridentino sæpè citato sess. 14. ca. 4. duplex est poenitentia, sufficiens ad Justificationem; alia quidem quam agimus, & hæc est contritio charitate perfecta sufficiens ad Justificationem, antequam Poenitentia Sacramentum suscipimus: altera verò quam suscipimus, nimirum Poenitentia Sacramentum, hæc autem ita includit, ut partem poenitentiam, quam agimus, ut sine poenitentia, quam suscipimus, non satis sit, ad justificationem ex necessitate Sacramenti, ut ibidem habet ipsum Concilium. Et de qua loquitur Augustinus tom. 10. homil. 4. probans hominem debere abstinere à peccatis, rationem istam assignans: *Quia si ad ultimum vita steterit, nescit, si ipsam poenitentiam accipere, ac Deo. & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Quando verò Sancti PP. exigunt amorem Dei super omnia, ad Justificationem per poenitentiam, loquuntur de poenitentia, quam agimus, ut & loquitur ipsum Tridentinum, & adnotavimus, num. 254. Quando autem dicunt, utilem esse poenitentiam habitam per timorem ex metu poenarum, uti habetur, à num. 371. loquuntur de utilitate ad Justificationem, cum Sacramento, sive cum poenitentia, quam suscipimus; sicuti & loquitur ipsum Concilium: Nulla quippè melior, aptior, & dignior Sanctorum Patrum expositio excogitari potest, quàm quæ verum Oecumenici Concilii sensum secum admittit, Pontificiisque definitionibus aptè conformatur: neque enim quærendus est sensus, quo definitiones Ecclesiæ conformentur Testimoniis PP. quasi Ecclesiæ sensui prævalentibus, sed è converso. Quapropter Alexander VIII. inter supradictas propositiones damnavit tertiam, quæ sic habebat: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam?*

Cæterum quod mirandum est, inter tot, & tanta testimonia, adeò laboriosè ab adversariis conquisita, nullum reperiri testimonium, quod speciem difficultatis contra distinctionem nostram, à Tridentino traditam præferat. Quorsum verò tendat tam improbus labor, planè nota capio, quamvis sciam præclarum esse industria specimen, quo exigua opuscula, dum tot, & tanta consulantur Patrum testimonia, magno laboris impendio in molem ingentem excrecant. Sic conquestus est Augustinus contra Julianum Pelagianum tom. 7. lib. 3. cap. 104. *Per Scripturarum testimonia conaris ostendere, & laboras inaniter, non ut respondeat nobis, sed ut libros possis implere.* At quis nescit libros æstimandos non esse molis pondere, sed pondere rationis. Planè si eandem eruditionis pompam amaremus, facile nobis esset recensere majorem numerum PP. & Theologorum, qui salutarem poenarum timorem impensè commendant, hominibus

quo

que in scelus omne ruentes hac Inferorum imagine, velut injecto fræno coercerent. Verum quid ad rem præsentem juvaret tantus utrorumque conatus? neque enim agitur de præstantia, & utilitate, seu Dei dilectionis, seu timoris; sed solum quæritur, quid juvent hujusmodi actus ad Sacramentum poenitentiae, an scilicet perfecta Dei dilectio ita necessaria sit, ut ea deficiente, etiam si maximè adsit poenarum metus, Sacramentum frustrationi exponatur. Hoc autem non modò non probant, sed nec arguunt quidem Patrum loca tanto apparatu, tantoque studio conquisita. Quod ut omnibus perspicuum fiat, expendamus breviter sua speciosiora testimonia, num. 471. ab adversariis adducta.

475. Etenim Ignatius Martyr citatus pro primo sæculo, neque de poenitentibus in Sacramento sine Charitate, neque de dilectione Dei super omnia, sine Sacramento ullam facit mentionem, sed de poenitentia in unitatem Dei, quæ unitas habetur per gratiam. Si ergo hæc gratia acquiratur per attritionem cum Sacramento, jam acquiratur illa unitas. Quomodò ergo ex ea unitate probatur, necessitas dilectionis Dei super omnia, cum Sacramento? Planè parvuli baptizati verè filii Dei sunt, illamque habent unionem cum Deo ratione gratiæ sanctificantis; sicuti & iusti dormientes: ergo Deum super omnia diligunt? En absurdam consequentiam, ex ipso adversariorum ratiocinio deductam. Ut quid ergo citant pro se Ignatium Martyrem? Nec minùs incongruè citant pro se Justinum, & Irenæum, ex secundo sæculo: Illa enim testimonia si ad Sacramentum poenitentiae transferantur, ex iis conficeretur, Justinum non modò Dei dilectionem, sed etiam charitatem erga proximum requisivisse ad Sacramentum, quod & ipsi adversarii dicere non audebunt, nec ulli hæcenus venit in mentem. Pariter fieret, Irenæum dilectionem actualem, & habitualementem, hoc est, perseverantiam in gratia permanentem, quam perseverantiam vocant; quod quidem naturam everteret Sacramenti Poenitentiae, utpotè divinitus per se instituti, non ad eorum salutem, qui in gratia perseverant, sed eorum, qui in peccatum lethale prolapsi, à Sanctitate, & gratia exciderunt. Ut quid ergo pompa hæc testimoniorum extra rem, quam agimus?

476. In tertio autem sæculo Clemens loquitur de opere elicitò ab homine, quo fit gratus amicaliter Deo; secùs de opere, quod Deo infra amicitiam placeat, aut simul cum Sacramento suscepto deserviat, ad amicitiam obrinendam: dicere enim, nullum opus placere Deo nisi sit ex motivo charitatis, damnatum jam est ab Alexandro VIII. in decima propositione adducta, num. 344. Quod autem Tertullianus, & Origenes commendent poenitentiam, & reprehendant peccatorem divinæ amicitiae fœdera dirumpentem, quomodo adducitur ad casum Poenitentiae; quandoquidem de Sacramento Poenitentiae, sive de poenitentia, quam suscipimus, mirum est utrobique silentium? At quid mirum, quòd hæc afferatur, si ex tertio ad quartum sæculum assertur Hilarius loquens de charitate fraterna, ut manifestè probant Petri Apostoli verba (1. Petr. 4.) ad quæ Sapientissimus hic Pater alludit: *Ante omnia autem maneamus in vobis metipsis charitatem continentem habentes, quia charitas operi multitudine peccatorum.* Tandem Ambrosius non loquitur de confessione Sacramentali, sed de confessione fidei conjuncta, cum dilectione perfecta, quæ Petrus amissam gratiam obtinuit, & auxit. Sed quid exindè deducitur ad probandum necessitatem dilectionis Dei super omnia, ut obtineatur gratia simul cum Sacramento Poenitentiae? Ex his unusquisque videre potest, quam debilia sint testimonia contra nos conquisita.

Objicies secundo: Alexander VII. citatus in 447. permisit, ut defenderetur sententia exigens dilectionem Dei super omnia, simul cum Sacramento Poenitentiae: ergo nostra sententia negant ejus dilectionis necessitatem non ellecta, adhuc certitudine privata, ac privata, neque in praxi tuta. Resp. Antecedens dubium esse, ut constar, ex num. 451. eo tamen permisso, nego Consequentiam, quia permisso facta ab Alexandro VII. eò tendebat, ut nullus esset fur à inureret alterutram sententiam, referendo sibi controversiæ decisionem authenticam, & diligentius examen. Propositiones autem, quæ ita relinquuntur, nullam accipiant à Sancta Sede approbationem, sed relinquuntur in se, quam habent, vel non habent, intrinseca probabilitate. Quod ut omnibus clarius constaret, Alexander VIII. post damnatas 31. propositiones in suo decreto, hæc addidit: *Non intendit tamen Sanctitas Sua, per hoc decretum alias propositiones in majore numero ultra supra dictas 31. jam exhibitas, & in hoc decreto non expressè approbare.* Quapropter unicusque licet sententiam suam, absque injuria alterius, promoveat.

S. II.

Objicies tertio: præcipue contra illationem Ex D. Thom. quæst. 9. supplem. artic. 1. ut habetur in quartum dist. 17. qu. 3. art. 4. quaest. 1. ubi ait: *Confessio potest esse, etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua confiteri Sacerdoti, & clavibus Ecclesiae se subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutum fructum, tamen recedente scilicet confessione percipere incipit, & sic etiam in aliis Sacramentis.* Unde non videtur iterare confessionem, qui scilicet accessit ad iterum postmodum scilicet suam confessionem. Ergo Sacramentum poenitentiae potest esse verum, & informe, quamvis poenitentia non sit, absque vero dolore, & absque generali contritione, sive perfecta, sive imperfecta, cum D. Thom. de hac contritione à perfecta, & imperfecta præcedente, per se loquatur. Propter hoc argumentum dictum.

defendunt communiter Thomistæ, Sacramentum Pœnitentiæ, validum & informe, pluresque ex illis, quos impugnavimus in illationibus, docebant, non requiri necessitate Sacramenti supernaturalem dolorem, sed sufficere displicentiam, sive dolorem naturalem, aut nullum, cum ex S. Thoma maneat, sine contritione sacramentum validè constitutum. Cæterùm hæc parùm urgent, quia D. Thom. sententiam illam retractavit. Quapropter.

479.

Resp. cum Vazquez quæst. 92. artic. 2. n. 13. nego Conseq. quia D. Thom. infra in eodem tomo distin. 23. quæst. 1. num. 4. in corp. sententiam illam retractavit, docens contritionem esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ. Quin imò mirati satis non possum Thomistæ sic arguentes, quandoque fidem Sacramentò se obstringunt, ad defendendam quàm judicant D. Thom. doctrinam. Constans autem apud ipsos doctrina D. Thom. est, quæ habetur in partibus summæ Theologicæ, quàm confecit post expositos Libros sententiarum, adeoque tenentur, hanc defendere rejectâ contrariâ, quandocumque in Libris sententiarum reperitur. In summa autem Theologica 3. par. qu. 85. art. 3. in corp. expressè docet, actum pœnitentiæ Theologicæ elici ex motivo universalis, sive esse dolorem de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, ut constat ex num. 76. Rursus ibi quæst. 90. artic. 2. in corp. docet, actum pœnitentiæ esse partem essentialem Sacramenti, per hæc verba: *Dicendum quod duplex est pars, ut dicitur in quinto metaphysicæ, scilicet pars essentiæ, & pars quantitatis. Partes essentiæ sunt, naturaliter, quidem formæ, & materia, Logicè autem est genus, & differentia. Hoc autem modo quodlibet Sacramentum distinguitur, in materiam, & formam, sicut in partes essentiæ: Undè, & supra dictum est, quod Sacramenta consistunt in rebus, & verbis: Sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ, partes quantitatis sunt partes materiæ, & hoc modo Sacramento pœnitentiæ specialiter assignantur partes (ut dictum est) quantum ad actus pœnitentiæ, qui sunt materia hujus Sacramenti.* Supra quæ verba optimè notat Cajetanus non excludi ab essentia Sacramenti contritionem internam, quæ, utpotè materia, est pars essentialis Sacramenti, ut ait D. Thom. sed operâ externam, quæ in satisfactionem intenduntur, & dicuntur partes quantitatis virtuteque clavium specialem hauriunt valorem, quòd à Concionatoribus sæpè repetendum, & prædicandum est, inquit, ibi Cajetanus. Ex quo D. Thom. nostram sententiam expressè tenet, & retractat; quæ in quatum dixerat; Sicuti etiam eadem 3. par. qu. 70. artic. 4. in corpore, ait se ibi retractare sententiam contrariam; quæ priùs ipsi placuerat.

480.

Objicies quartò: Juxta traditam numero superiori D. Thomæ requiritur ad valorem sacramenti pœnitentiæ contritio perfecta ex charitate: ergo insufficientis est sola attritio. Pro-
R. P. Gormaz, Theolog. Tom. II.

batur Anteced. dolor peccati debet proportionari cum accusatione peccati, ut eadem tendat viâ pœnitentiæ oris, & cordis: sed accusatio, utpotè de offensa Dei, procedit ex charitate: ergo dolor, qui etiam ex D. Thom. est de offensa Dei procedit ex charitate. Confirmatur peccator in hoc Sacramento fit de attrito contritus; sed non fit contritus, nisi per contritionem: ergo requiritur contritio. Resp. nego Anteced. Ad prob. omitto Maj. & dist. Min. procedit ex charitate si fit de offensa Dei, ut Deo mala, Concedo; ut mala pœnitentiæ, nego Min. & Conseq. quia liberum est peccatori elicere verum actum pœnitentiæ ad sacramentum suscipiendum sive contritionis, sive attritionis, adeoque liberum illi est, dolere de offensa Dei prout Deo mala; quod pertinet ad charitatem; vel prout mala pœnitentiæ, quod pertinet ad virtutem distinctam à charitate ex num. 128. & 135. Ad conf. dist. Maj. sic de attrito contritus actualiter nego: habitualiter conced. Maj. & dist. Min. nego Conseq. Cujus falsitas clarè constat ex num. 256.

Objicies quinto: præsertim contra necessitatem doloris superni, & doctrinam nostrarum illationum. Voluntas suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, utpotè peccatorum destructivum, est in peccatore voluntas destruendi peccata: sed voluntas destruendi peccata sufficiens est ad valorem sacramenti pœnitentiæ: ergo voluntas suscipiendi sacramentum pœnitentiæ absque ullo alio dolore sufficiens est ad valorem sacramenti. Confirmatur primò: Per dolorem naturalem tollitur obex, sive peccatoris adhesio ad peccata præcedentiâ: atqui sacramentum ex Trident. sess. 7. Can. 6. conferunt gratiam non ponentibus obicem: ergo dolor naturalis sufficiens est ad valorem; & fructum sacramenti pœnitentiæ. Confirmatur secundò: dolor est pars sacramenti pœnitentiæ quatenus redditur sensibilis per confessionem vocalem; aut alia signa extrinseca pœnitentiæ: sed confessio vocalis aliaque signa externa non magis significant dolorem naturalem quam supernaturalem: ergo non minùs sufficit dolor naturalis, quàm supernaturalis. Confirmatur tertio: Ad valorem baptismi nullus ex parte pœnitentiæ requiritur actus supernaturalis, adeoque & potest esse validus, & informis: ergo neque ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur ex parte pœnitentiæ ullus actus supernaturalis.

481.

Resp. omitto Maj. & dist. Min. Voluntas destruendi peccata sufficiens est, qualis est à Christo instituta, concedo: Voluntas qualis à Christo instituta non est, nego Min. & Conseq. Nam voluntas à Christo instituta est supernaturalis ex num. 375. & 381. adeoque debet esse honesta, & quæ ad sui elicentiam exigat prævenientem inspirationem Spiritus Sancti, ejusque adjutorium, firmitatemque ex parte motivi, quod longè abest à voluntate naturali ex
nuffi.

482.

num. 418. Quin imo voluntas naturalis suscipiendi poenitentiam potest esse peccaminosa, ut patet in voluntate, qua peccator vult hodie peccare, & crastina die confiteri, peccataque destruere: cum autem talis voluntas destruendi peccatum sufficiens non sit ad valorem sacramenti poenitentiae, ut & adversarii ipsi negare non possunt, exinde apparet manifeste non sufficere ad valorem sacramenti poenitentiae quamcumque voluntatem destruendi peccatum, sed requiri voluntatem, qualem Christus instituit.

483. Ad primam Confirmationem dist. Maj. tollitur obex adhaesionis actualis ad peccata praeterita, conc. tollitur obex adhaesionis habitualis nego Maj. & dist. Min. nego Conseq. nam absque poenitentia saluari, sive supernaturali nullum peccatum personale remittitur peccatori adulto in hac providentia, ut constat ex Tridentino cit. num. 377. Ad secundam confirm. dist. Maj. dolor à Christo institutus Conc. non institutus nego Maj. & dist. Min. non magis significat in circumstantiis, in quibus Sacerdos prudenter absolvit nego; seclusis illis circumstantiis permitto Min. & nego Conseq. quia in illis circumstantiis, tenetur peccator elicere actum poenitentiae supernaturalem, & confessarius discurrens ex notis ad ignora prudenter iudicat illum facere, quod debet ad talem actum eliciendum. Cum autem Deus facienti, quod est ex se, non deneger gratiam, prudenter discurret habere gratiam, qua eliciat talem actum supernaturalem. Si autem iudicaret poenitentem non esse ita paratum, deberet illum instruere, nec posset licite aliter absolutionem impendere.

484. Ad tertiam Confirm. conc. Anteced. & nego Conseq. quia actus poenitentiae non est pars constitutiva sacramenti baptismi, adeoque potest dari totum essentiale constitutivum baptismi absque supernaturali actu poenitentiae; validum, & informe: voluntas enim suscipiendi sacramentum (quae voluntas est purus terminus, sine quo baptismus in adulto non esset validus ex tractatu de sacramentis à num. 102.) solum requiritur, ut susceptio sit ipsi voluntaria, ad quem finem satis est voluntas naturalis, etsi ex alio capite peccaminosa: tunc enim daretur baptismus validus, & non conferret gratiam peccatori adulto ex defectu poenitentiae salutaris, quam elicità saluari poenitentia, postea conferret, & baptismus revivisceret, ut constat à n. 215. de baptismo. At verò actus poenitentiae salutaris est pars sacramenti poenitentiae, ex numero 463. adeoque eo actu deficiente nequit dari sacramentum validum, repugnat enim totum constitutum deficiente parte constitutiva. Quin imò actus poenitentiae salutaris est dispositio ad gratiam ex num. 381. adeoque intrinsecè superna, seclusis autem confessio vocalis, aut materiae aliorum sacramentorum; quae non sunt dispositio, sed res institutae constituentes solum impetratorium cum Christi institutione,

ut constat à num. 193. de sacramentis adeoque entitative possunt esse naturales.

§. III.

Objicis sextò: Dolor requisitus ad confessionem venialium non debet excludere omnem voluntatem peccandi venialiter: ergo dolor requisitus ad confessionem mortalium non debet excludere voluntatem peccandi mortaliter: ac proinde non erit necessarius neque formalitate propositi dolor universalis, sed torqueo argumentum. Venialia non sunt materia necessaria confessionis: ergo neque venialia. Resp. deinde negando Conseq. quia valorem sacramenti poenitentiae requiritur contritio sive perfecta, sive imperfecta; sine qua nullum mortale in hoc sacramento remitti potest. Insuper cum nullum peccatum remitti possit sine dolore, & ad valorem huius sacramenti requiratur ex Tridentino citato num. 465. de Virt. idem dolor ad valorem, qui requiritur ad fructum remissionis; exinde patet fit, contritionem ad hoc sacramentum requisitam debere esse universale de omnibus mortalibus: cumque non possit dari hoc sacramentum quin dentur per se partes à Christo Domino requisitae; semper debet dari voluntas excludendi omnem mortalem; ut detur valor sacramenti, quod ex Christi institutione semper est pars mortalium remissivum: nec adhuc peccatum potest illi deficere talis virtus, etsi postea peccat accidens non apponi mortalia non remissa, sed potius sola jam remissa, aut sola venialia. Unde qui sine huiusmodi voluntate accederet ad hoc sacramentum, faceret illud irritum, & peccaret, adeoque sive confessio sit de mortalibus jam remissis, sive de solis venialibus, semper debet elici hic actus poenitentiae universalis, nempe dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero etc. Trid. sess. 14. cap. 4.

Cæterum cum tantum veniale remitti possit sine alio, qui confiteretur sola venialia non teneretur supra illum actum à nobis expositum elicere alium actum doloris, & propositi universalis circa omnia venialia, sed satis est, ut habeat circa aliquod: sine dolore quippe, & poenitentia peccati, nequit in hoc sacramento peccatum remitti, ut constat est graviorum Theologorum sententia cum Augustino cap. Nonnulli 43. de poeniten. distinctione prima, dicens: *Neminem ab errore ad veritatem, vel à peccato cumque, seu magno, seu parvo peccato ad veritatem sine poenitentia posse transire;* sequitur de qui sola venialia confiteretur, sine ullo dolore peccaret mortaliter, eo quod frustraretur sacramentum; si autem haberet dolorem de uno cum voluntate excludiva omnis mortalis, illi dolor jam esset propositus vitandi illud veniale, & cum haberet voluntatem simul excludivam omnis mortalis jam apponeret materiam sufficientem sacramenti, adeoque & valorem, & sic.

& fructum sacramenti reciperet: haberet quidem dolorem de peccato commisso, & propositum illud non committendi cum voluntate non peccandi mortaliter de cætero: quod satis est pro pœnitentia à Christo instituta in materiam hujus sacramenti. Quin imo illud propositum universale, utpote dolorosè procedens satis esset ad finem per se intentum ab hoc sacramento ex numero 463. ille verò efficax dolor de veniali, cum sit etiam propositum saltem non committendi illud peccatum, jam esset pœnitentia sufficiens ad remissionem venialis, cum sit materia libera, possitque unum veniale absque alio remitti.

487. Non desunt tamen aliqui Authores, qui affirmant esse mortale, accedere ad sacramentum pœnitentiæ sine attritione omnium venialium, saltem quæ clavibus subijciuntur. Verùm de hoc, omnibusque pertinentibus ad remissionem venialium, agemus suo loco. Insinua- bo modò ea solum, quæ ex ratione fundamen- tali Authorum istius sententiæ possunt cum tra- ctatu de sacramento alicqualem habere connexi- onem. Responsio igitur eorum Authorum est, quia qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponet pro materia sacramenti ali- quod, quod non potest esse materia. Undè si- cut graviter peccaret ille, qui hostiam papyra- ceam proponeret cum triticeis ad consecran- dum; sic ille, qui proponit in confessione aliqua venialia, de quibus non dolet, peccat mortali- ter. Verùm hæc sententia, ait Gonetius dispu- tatione 7. articulo 4. num. 77. videtur nimis rigida, adeòque improbabilis. Planè in hoc au- thore majorem claritatem desideratam, simul- que omninò necessariam distinctionem pro pra- xi inter requisita necessitate præcepti, vel ne- cessitate sacramenti. Etenim si loquamur de sententia requirente ex necessitate præcepti do- lorem omnium venialium, non est quare cen- seatur improbabilis: eam enim defendunt plures, quos inter Castro Palao tomo 4. tract. 23. disp. unic. punct. 7.

488. Opinio igitur docens requiri attritionem omnium venialium, intelligenda est de necessi- tate præcepti, secùs autem de necessitate sacra- menti. Ratio est: quia ille, qui confitendo plura venialia efficaciter, & bonâ fide dolet de uno, & non de aliis, jam apponeret unum peccatum veniale cum attritione; quod est ma- teria sufficiens ad sacramentum. Ut si quis adhibeat consecrationi unam hostiam triticeam, & aliam papyraceam, validum esset sacra- mentum circa hostiam triticeam. Pariter si confiteretur mortale, de quo dolet cum veniali- bus, de quibus dolorem non concipit, esset vali- dum sacramentum, cum esset materia sufficien- ter certa absolutionis. Quapropter nostra sen- tentia est tuta in praxi. Sic Cardenas dissert. 2. cap. 6. quæst. 5. num. 83. dicens: *Dicendum ta- men est eam secundam opinionem non subjacere huic damnationi. Ratio est clara, quia si pœni- tens confiteatur unum peccatum veniale cum at-*
R. P. Gorman. Theolog. Tom. II.

tritione, & reliqua sine illa, præbet sufficientem materiam ad absolutionem, & si accedat bonâ fide per hanc secundam opinionem, quæ probabilis est etiam apud authores prioris sententiæ, sa- cramentum est certò validum. Non ergo versa- tur questio circa valorem sacramenti, atque adeò ea secunda opinio non est minus tuta circa valo- rem. Hæc Cardenas.

489. Quòd autem per principia nostræ sententiæ possit aliquis absque transgressione alicujus præcepti manifestare confessario plura venialia cum efficaci dolore unius, & non alterius, con- stabit a libi latè, & inferitur satis ex num. 486. ubi habetur ratio fundamentalis communis sen- tentiæ Theologorum, quos citat, & sequitur Lugo disputat. 14. num. 118. & Arriaga dispu- tat. 31. lect. 7. num. 53. ex qua fundamen- tali ratione conficitur, quòd sicut non tenemur pec- cata venialia confiteri, ita ea possumus, sine de- bito dolore Sacerdoti manifestare, non quidem ad petendam absolutionem de illis, sed ad ma- jorem nostri confusionem, & erubescenciam, dummodò ad validitatem sacramenti de aliquo sufficientem dolorem afferamus juxta dicta n. 486. illi enim qui ita confitentur sua venialia, planè non id faciunt ex fine obinendi absolu- tionem ab illis, de quibus non dolent, ut pra- xis, & usus demonstrat, adeòque ea non appo- nunt ipsi pro materia Sacramenti, nec de illis propriè confitentur, sed potius illa inter confit- tendum exponunt, quòd licitè ficere possunt ad sui confusionem, humiliationem, & ad ma- jorem sui notitiam confessario dandam. Sicut etiam possunt habitus suos vitiosos, propensio- nes naturales, & peccandi occasionem, & tenta- tiones sibi occurrentes, aliàque multa, quæ peccata non sunt, nec materia absolutionis ex- ponere licitè, & laudabiliter.

490. Confessio enim non solum refertur ad ab- solutionem à peccatis, sed etiam tendit ad me- dendum infirmitatibus pœnitentis, ad regi- men conscientiæ, novæque vitæ custodiam, ut ex Ecclesiæ praxi patet, & supponit satis a- pèrè Tridentinum sessione 14. capite 8. dicens: *Habeant autem, præ oculis. ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novam vitæ custodi- am, & infirmitatis medicamentum, sed et- iam ad prævitorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed etiam ad ligan- dum concessas, etiam antiqui Patres, & cre- dunt, & dicunt.* Undè aliqua peccata venialia declarare possunt, quæ non proponun- tur, ut materia Sacramenti Pœnitentiæ; ac proinde, licet pœnitens de ipsis non doleat, non peccat mortaliter, dummodò arteratur, & doleat de aliis, ne frustretur Sacramentum, quòd pro materia habet dolorem, seu pecca- ta cum attritione vel contritione confessa: ex quo patet disparitas ad exemplum, quòd ad- ducebant adversarii, de consecratione, numero

487. Nam consecratio Eucharistiæ refertur solum ad transubstantiationem, & effectum Sacramenti. Unde non potest proponi aliquid ut consecrandum, quod materia consecrationis non est, adeoque nec hostia papyrea, cum triticeis misceri, & ad consecrandum offerri. E' contra verò, cum confessio non solum referatur ad absolutionem à peccatis, sed etiam tendat ad medendum infirmitatibus penitentis, ad regimen conscientia, & novæ vitæ custodiam, licet in confessione exponere, quæ ad hunc finem conducunt, licet non exponantur pro materia, neque ad finem absolutionis.

491. Neque opus est, ut penitens, qui certam materiam Sacramento apponit, anxius sit in explicando veniali, circa quod habet dolorem: Nam absolutio Sacramentalis ex Christi institutione cadit supra illam, & non supra aliam materiam: sensus enim illius est: Absolvo te à peccatis, quantum est ex me secundum Christi institutionem, id est à peccatis, quæ rite confessus es, cum sufficienti dolore, & proposito, sive quæ in ipsa confessione directè, aut indirectè rite includuntur. Sicut enim, quando confessio est de mortalibus, ex eo quod non possint remitti, quæ manifestantur, quin etiam remittantur indirectè alia, si sunt inculpabiliter oblita, absolutionis vi remittuntur, non solum

directè ea, quæ manifestantur, sed etiam indirectè ea, quæ oblita sunt. E' converso, quando confessio est de solis venialibus, cum non sine aliis remitti possit, non extenditur necessariò absolutio ad omnia, quæ manifestantur, sed ad ea, quæ rite, & propriè confessi sunt, cum ad illud in eo casu, & ad hoc in isto se extendat Christi institutio, à qua Sacramenti absolutio vim habet.

Casu autem, quo penitens non declarat, quænam sint ea venialia, de quibus dolo, penitentem Confessarius imponere penitentiam correspondentem omnibus, ad aliquem saltem finem obtinendum ex enumeratis. Quapropter Sacramentum ex nulla parte est irritum, cum nihil desit, quod necessarium sit ad illius valorem. Quod autem non habeat tantam efficaciam, quantum habere posset, si dolor fuisset universalis, id non est contra reverentiam debitam Sacramento, neque per se malum, cum non teneamur accedere ad Sacramenta, cum dispositione ad habendam efficaciam, quantum habere possunt. Sic non tenemur accedere ad Eucharistiam cum summa dispositione, ut conferat gratiam, quantum conferre potest, neque ad penitentiam, cum dilectione Dei super omnia. Ex quibus præoccupata manent, quæ contra nostram doctrinam potest adduci.

